



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Affinitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

affirmativè, *cap. ut debitus, & ibi notata, de appellat.* Guid. Pap. *quæst. 43. num. 79.* & hoc quando concedit Apostolos reverentiales, secus verò, quando dum quis appellat dicit iudex: Admittatur appellatio, si, & in quantum, & concedit Apostolos refutatorios, ita est in praxi.

Ad vigesimum. Respondetur, quòd sac. Concil. Trident. *sess. 24. capit. 20. de resor. §. preterea,* dicit quòd appellans teneatur acta omnia coram iudice à quo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, appellatus verò si voluerit uti illis, teneatur proportionè sua subire expensas.

Ad vigesimum primum. Vide Bal. *in marg. Innoc. in versic. terminus & in ver. malitia,* ubi multa dicit.

Ad vigesimum secundum. Vide Bald. *loc. cit. in ver. iudex,* ubi multos enumerat casus pro practica.

Ad vigesimum tertium. Vide Covar. *in c. alma mater, 2. p. §. 2. n. 1.*

AFFINITAS.

PRimò, Affinitas est unum ex impedimentis impediens & dirimens matrimonium, usque ad quartum gradum inclusivè, *c. non debet, cum vulgatis, de consanguin. & affinit.*

Secundò, contrahitur etiam in coitu fornicario, & parit impedimentum, prout *in ver. matrimonium, §. 12. & 13.*

Tertiò, non contrahitur, quando fit copula extra vas debitum, vel ibi non seminatur. *Sot. 4. sent. dist. 41. quæ. uni. art. 2. Flor. Theol. in 4. sent. tract. de affinit. art. 1. concl. 4.* neque per coitum sodo-

miticum contrahitur affinitas, *c. extra ordinariam, 35. qu. 3. & ibi gloss. Capella Tolos. quæst. 96. & ibi additio. & Navar. consi. 4. de cons. & affinit.*

Quartò, licet inter virum & uxorem non sit affinitas, cum sit potius principium affinitatis, tamen in favorabilibus veniunt appellatione affinitatis, sive affinium, prout in iure protim. & compromissi. *Novel. de iure protim. §. primus, num. 39. & 40. Tiraq. de viroque retract. §. 14. gloss. 2. num. 19.* vide etiam *Iser. in c. qua sunt regalia, §. bona vacantia, vers. 1. additio, num. 26.* Est alia affinitas spiritalis, de qua *in ver. baptismus,* & in qua nunquam legitur Papam dispensasse. *Abb. capit. accepimus, num. 6. de purg. san.*

ADVOCATUS.

PRimò, Advocatus quando non est stipendio publico conductus, potest per iudicem compelli ad patrocinandum causis, & litibus pauperum: si nolit, potest ei interdici officium advocandi, & potest peccare mortaliter, vel venialiter in casu contrarii, secundum circumstantias causarum, & necessitatis pauperis litigantis, *Covar. pract. quæst. cap. 6. num. 4.*

Secundò peccat mortaliter, revelando secreta sui clientis parti adversæ, *Navar. c. 25. à n. 28. & infra. Sylvest. in ver. advocatus,* & puriori uti prævaricator, *l. 1. ff. de prævaric. sed quid in procuratore? vide §. si quis instrumentum, l. si quis aliquid, ff. de poenit. Iser. quibus modis secundum admittatur, il. 2. per totum.*

E

Tertiò,